

1378-1378- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Carcassonam Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.
 Hec sunt acta capituli generalis celebrati apud Carcassonam
 anno Domini · M° · CCC° · LXXVIII° .

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos provinciales: Lombardie inferioris, regni Sicilie, Terre sancte, Lombardie superioris, Hungarie et Tholosane, quem facimus lectorem in conventu Burdigalensi.

Absolvimus hos priores conventuales: Tholosanum, Orthesiensem, Figgacensem, Albiensem, Rutenensem, sancti Gaudencii, Limosiensem, Portus sancte Marie, Petragoricensem, Montis Albani, Morlanensem, sancti Geruncii, Mediolanensem provincie Lombardie superioris, Parisiensem, Budensem provincie Hungarie; et volumus, quod predicti priores hoc anno ad eadem officia in dictis provinciis et conventibus nullatenus assumantur.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: quod provincia Dalmacie sit una provincia, et conventus Civitatensis, Utinensis et Iustinopolitanus de provincia Lombardie inferioris pertineant ad eamdem.

Item hanc: In capitulo de suffragiis mortuorum, ubi dicitur: pro fratribus et sororibus et omni, addatur sic: et pro illis, qui nobiscum cum habitu ordinis sepeliuntur.

Item hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: tres annos, dicatur: sex. Et hoc medio tempore observetur.

Item hanc: quod conventus Russie de cetero pertineant ad provinciam Polonie, quos de facto eidem provincie tenore presencium applicamus, et cure prioris provincialis Polonie submittimus; mandantes eidem, quatenus omnes ibidem existentes et ad dictam provinciam minime pertinentes ad provincias suas remittat ipsosque, prout iusticia suadet, puniat quam cicius, si sibi non paruerint cum effectu, et specialiter Ganzellaum Stupensem, qui pro vicario ibidem se gessit, quem carcerali custodis deputet indilat.

Item hanc: quod in sabbatis in loco ultimorum versuum hymnorum, quando de beata virgine agitur, dicatur: Maria mater gracie etc., postmodum: Gloria tibi, domine, etc.

Item hanc: quod in illa inchoacione in capitulo generali Valencie facta¹, quod festivitates trium lectionum etc., addatur sic: in aliquam feriam sequentem eiusdem septimane vel precedentem, si sequens non fuerit, transferantur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: quod insule Sicilie et Hibernie sint provincie cum iuribus aliarum provinciarum. Et hec habet · iii · capitula.

Iste sunt ordinaciones.

Imprimis ordinaciones immediate precedentis generalis capituli apud Bituricas celebrati, quod socii provinciarum et conventuum de cetero portent acta capitulorum generalium et provincialium scripta in bonis pergamenis, sigillo magistri ordinis vel suorum provincialium sigillata; de anniversariis et libris non duplicatis, et bonis immobilibus conventuum non vendendis, alienandis, permutandis nec transferendis, cum addicione: nec pignorandis; de procuratoriis seu syndacatibus instituendis, et sub certa forma faciendis cum addicione: quod presidentes provinciarum, qui penas ibi positas, cum eis plene constiterit, non fuerint contra delinquentes executi, a suis officiis sint absoluti; de inventariis per presidentes faciendis in singulis conventibus per singulas officinas de bonis eorumdem duplicatis cum addicione, quod nisi ea infra sex menses duplicaverint, sint ipso facto a suis officiis absoluti, cum omnibus et singulis clausulis ibidem contentis et penis appositis in eisdem totaliter innovamus².

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie omnibus et singulis prioribus provincialibus et conventionalibus ac loca tenentibus eorumdem, quatenus omnem fratrem fagitum ac solum sine socio nostri ordinis incedentem, nisi manifestam excusacionem habeat super incessu huiusmodi solitario, quamcicius commode poterunt, arrestent et includant ac penis debitum macerent, donec de discretorum consilio ab arresto huiusmodi mereatur liberari. Quod si in hoc reperti fuerint negligentes, in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie prioribus conventionalibus ac eorum loca tenentibus universis, quatenus infra medium annum corrigant seu corrigi faciant integraliter et perfecte constituciones, missalia et ordinaria suorum conventuum; qui vero in hoc defecerint, sint ipso facto a suis officiis absoluti.

Item. Volumus et ordinamus, quod quicumque frater repertus fuerit iudicio eius, ad quem spectat, sine causa rationabili a quocumque suo superiore appellasse carcerali custodie mancipetur; denunciantes fratribus universis, quod de iure communi et ex privilegio ordinis speciali a correctione et ab officiorum absoluzione nulli fratri licitum est appellare. Item. Volumus et ordinamus, quod electiones sociorum priorum conventionalium et electorum priorum provincialium de cetero non fiant in quacumque provincia vel conventu, nisi per mensem vel per quinque septimanas ante capitulum provinciale et electionem priorum provincialium imminentem; quod si secus actum fuerit, totum decernimus fore irritum et inane.

¹ Cf. supra pag. 412 l. 15 sqq.

² Cf. supra pag. 428 l. 15 sqq.

Item. Omnes et singulas gracias exemptorias et camerarum concessiones quarumcumque fratribus factas quavis forma verborum per quoscumque nostri ordinis presidentes, tenore presencium simpliciter revocamus, exceptis duntaxat graciis et cameris factis magistris ei bacalareis, et exceptis concessionibus camerarum factis illis fratribus, qui eas construi fecerunt propriis sumptibus et expensis; ei idem dicimus de concessionibus camerarum quarumcumque, extra vel intra commune dormitorium existencium, factis quibuscumque fratribus, magistris vel non magistris, que magistro ordinis reverendo vel prioribus provincialibus aut usui fratrum hospitum seu infirmorum retroactis temporibus fuerunt applicate. Et nichilominus precipimus fratribus universis, qui habent cameras seu cellas intra communem clausuram dormitorii, quatenus infra quindecim dies, postquam erunt presentes in suis conventibus, et presencium noticia ad ipsos pervenerit, claudant seu claudi faciant cum bono muro portas quascumque in dictis cameris seu cellis existentes, per quas exiri posset exterius, dormitorio clauso existente. Quicumque vero huic ordinacioni non paruerint cum effectu, ipsis cellis seu cameris et bonis eciā sibi concessis per ordinem simpliciter sint privati. Mandamus prioribus universis sub eodem precepto, quod cum eis de predictis constiterit, bona huiusmodi recipient realiter a dictis fratribus et suis conventibus applicent indilate; que eciā bona fratres huiusmodi eis tradant seu per eos recipi permittant sub eodem precepto absque contradictione quacumque.

Item. Ut in factis fidei providencius solito procedatur, vult et ordinat magister ordinis reverendus de unanimi consilio [nostrum] et assensu, ac eciā mandat in virtute sancte obediencie inquisitoribus nostri ordinis universis, quatenus de cetero nullum fratum nostri ordinis instituant vicarium seu commissarium, nisi talem, qui annum attigerit quadragesimum, et tunc nonnisi de consilio suorum priorum provincialium aut vicariorum generalium, nisi forsan frater huiusmodi esset prius iudicio eorumdem priorum provincialium seu vicariorum eorumdem ad hoc iudicatus sufficiens, ydoneus, pariterque discretus. Quod si aliquis inquisitorum oppositum attemptare presumpserit, eo facto ipse magister ordinis inquisidores huiusmodi ab illo nunc pro tunc absolvit officio, et omnibus, quorum interest vel interesse potest, absolutum denunciat per presentes. Omnes autem et singulos vicarios seu commissarios per quoscumque inquisidores iam factos unicuique denunciamus per dictum magistrum ordinis reverendum fuisse in nostra presencia ab huiusmodi officiis simpliciter absolutos.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie sub pena absolucionis a suis officiis prioribus provincialibus et conventionalibus ac eorum loca tenentibus universis, quatenus diligenter inquirant, si aliqui fratres sibi subiecti extra conventus seu domos nostri ordinis carnes comederint contra nostrarum seriem constitutionum, et cum legitime de excessu huiusmodi eis constiterit, fratres, qui in hoc defecerint, compellant ad faciendam penitenciam in nostris constitutionibus contra deficientes huiusmodi positam et taxatam; quod si presidentes predicti in hoc fuerint negligentes, eamdem penitenciam sub precepto facere teneantur.

Item. Volumus et firmiter observari mandamus per presidentes universos et singulos nostri ordinis, quatenus nullum fratrem, qui carcerem fregerit vel ab ordine aufugerit seu aliquem alium de carcere extraxerit vel ad exeundum seu frangendum carcerem ordinis instrumentum quodcumque alicui incarceratedo per se vel per alium ministraverit, aut qui, postquam adiudicatus fuerit carceri, ante incarcerationem realiter apostataverit, recipient ad ordinem, nisi statim ipsum carceri mancipient realiter et de facto.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater de cetero moretur assidue cum aliquibus extra obedienciam nostri ordinis constitutis sine licencia reverendi patris magistri ordinis aut sui prioris provincialis vel eius vicarii generalis; quod si aliquis oppositum attemptare presumpserit, ipso facto voce et omnibus graciis ordinis ac eciā bonis sibi concessis per ordinem simpliciter sit privatus et nichilominus ad omnes et singulas promociones ordinis sit inhabilis et ineptus.

Item. Cum recepcion noviciorum et bona educacio eorumdem sit nostri ordinis murale et radicale fundamentum, ad ipsa necessaria sollicitudine intendentis, districtissime iniungimus fratribus universis et maxime presidentibus, ut ad receptionem noviciorum diligentissimam curam adhibeant, iuxta graciam a domino sibi datam. Omnis autem prior recusans aliquem ad ordinem recipere, iudicio maioris partis trium examinatorum, quibus conventus examinacionem commiserit huiusmodi, ydoneum et sufficientem, ac se dolose subtrahens sive operans, ut talis non recipiatur, ipso facto ab officio prioratus sit suspensus, donec defectum suum huiusmodi purgaverit perfecte; qui prior, eciamsi vota conventus non habeat ad receptionem oblati, auctoritate magistri ordinis reverendi, qui ad hoc vocem dedit et dat de omnium nostrum consilio et assensu, ut scilicet [idem] prior ad ordinem nostrum recipere valeat, et de facto recipiat huiusmodi oblatum, ad recipiendum iudicatum ydoneum, ut prefertur. Declarantes, quod defectus etatis vel sufficiencie litterarum, dum tamen maior sit (in) septennio, recipiendum non impedit in isto casu. Et ne eciā propter defectum educationis, instructionis ei subvencionis temporalis tale iam positum ruat fundamentum, volumus et mandamus, quod in qualibet visitacione eligatur per provinciale capitulum unus conventus, quo duo noviciorum magis apti de quolibet conventu illius visitacionis, postquam in divino officio fuerint sufficienter instructi vel alii noviter professi mittantur; et de fratre ydoneo vel seculari providere habeant, qui dictos parvos in moribus et grammaticalibus et aliis instruat diligenter et informet. Conventus vero, unde tales mittentur, per quotam suam de salario moderato provideant ipsorum instructioni. Precipientes in virtute sancte obediencie et sub pena privacionis vocis, quam quicumque presidens, oppositum faciens, incurrat ipso facto, ut in quolibet conventu decima pars omnium obvencionum pecuniarum sequestretur, et duobus fidelibus fratribus quitetur in solos usus noviciorum et aliorum puerorum noviter professorum, ad minus per unum annum post professionem; qui, prout unicuique opus fuerit, pro libris et vestibus et aliis necessariis quoad viam ipsorum ad studia dictam pecuniam custodiant et expendant; mandantes sub pena absolucionis omnibus prioribus

provincialibus, ut ipsi observent strictissime hanc ordinacionem et eam faciant a subditis observari; priores nichilominus, qui anno quolibet non recipient unum vel duos novicios a suis officiis absolvendo.

Item. Cum priores conventuales in sua parte sollicitudinis iuxta seriem nostrarum constitutionum habere debeant subprios, volumus et in virtute sancte obedientie precipimus omnibus et singulis prioribus conventionalibus, quatenus infra mensem, postquam presentes in suis conventibus [extiterit], cum discretorum consilio instituant, qui non habent subprio; sub eodem precepto omnibus prioribus et supprioribus iniungentes, quatenus cum personaliter erunt presentes in suis conventibus, alter ipsorum ad minus omni die cum aliis fratribus in refectorio comedat, nisi legitime fuerint impediti; si autem alterum ipsorum abesse contigerit a conventu, immediate qui tunc aderit, teneatur comedere continue in refectorio, ut premittitur, vel eius vicarius loco sui; eidem precepto astringentes fratres nostri ordinis universos, quatenus legitimo cessante impedimento, bis vel ter ad minus in qualibet hebdomada comedant in refectorio, exceptis magistris in theologia et bacalariis in studiis generalibus et inquisitoribus ac illis, qui fuerunt provinciales et diffinitores capituli generalis, vel lectoribus actu legentibus, qui ad minus semel in hebdomada sub eodem precepto ibidem comedere teneantur.

Item. Precipimus in virtute sancte obedientie universis et singulis prioribus provincialibus ac vicariis generalibus eorumdem, quatenus quilibet eorum pro expensis factis et faciendis mittant ad curiam Romanam procuratori ordinis vel eius locum tenenti infra instans festum nativitatis domini sex florenos bonos de Florencia pro anno presenti; et illi, qui tenentur eidem de tempore preterito, similiter satisfaciant integraliter et perfecte, alias contra inobedientes huiusmodi, prout est racionis, gravius procedetur.

Item. Precipit reverendus pater magister ordinis prioribus provincialibus et eorum loca tenentibus universis in virtute sancte obedientie, quatenus infra annum a data presencium, sequenciam sancti Thome doctoris nostri, et novem lectiones de translacione eiusdem in singulis conventibus suarum provinciarum scribi faciant, remota excusacione quacumque.

Iste sunt denunciaciones.

Denunciamus fratribus universis, quod quicumque frater per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, vel obedienciam sibi vel alteri fratri iniunctam per quamcumque personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam quocumque modo revocari vel in aliqua provincia seu conventu aut eciam officio seu studio generali seu in aliqua universitate ad legendum sentencias seu bibliam ponи vel amoveri procuraverit, vel qui ibidem legere bibliam ac dictas sentencias presumpserit, nisi ibidem per magistrum ordinis vel generale capitulum fuerit assignatus, et tunc nonnisi in loco per aliquem predictorum sibi deputato; seu qui in opere alchymie operatus fuerit vel per alium vel alios operari fecerit; aut qui fratrem aliquem seu fratres scienter et ex proposito apud personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam infamaverit; vel facta fratrum aut secreta ordinis, ex quibus ordo noster vel frater aliquis infamari possit, quibuscumque personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis dixerit vel revelaverit; aut qui ad Romanam curiam sine licencia magistri ordinis speciali accesserit vel ibi manserit ultra terminum sibi assignatum, vel quicumque suo prelato dicere presumpserit, quod non sit suus prior, excommunicationis sentenciam incurrit ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis tulit iuridice in diffinitorio de omnium nostrum consilio pariter et assensu. Ab hac tamen ordinacione eximimus quoad accessum curie Romane fratres illius provincie, in qua pro tempore curia residebit, qui possint ire ad curiam de sui provincialis vel eius vicarii generalis licencia petita pariter et obtenta.

Concedimus prioribus provincialibus, quod quilibet eorum, dum necesse fuerit, mittere valeant ad dictam curiam pro negotiis suarum provinciarum duos fratres.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno presenti fratrem Iohannem Balbini³ de provincia Francie, cui substituimus fratrem Nicholaum Vitalis⁴ de eadem provincia; et quantum nostra interest, pro anno primo intraneis debito, qui nunc legit post fratrem Iacobum, ipsum ibidem ad legendum sentencias assignamus. Pro primo anno extraneis debito post ipsum, qui nunc legit, assignamus ad legendum sentencias fratrem Goufrendum (!) Biscollim⁵ de provincia Theutonie; pro secundo vero anno extraneis similiter debito, assignamus ad legendum sentencias, quantum nostra interest, fratrem Arnulfum de Lesteria⁶ de provincia Tholosana. Ad legendum bibliam ibidem post ipsum, qui nunc legit actu, quantum nostra interest, fratrem Oliv[ari]um⁷ et post dictum fratrem Oliv[ari]um, quantum nostra interest, fratrem Iohannem Ade⁸.

In Oxonia assignamus pro regente fratrem Iohannem de Gesta, magistrum, sub quo ad incipiendum assignamus fratrem Thomam de Bascho. Ad legendum sentencias ibidem pro anno presenti fratrem Robertum Biton, et pro eodem anno fratrem Iohannem Valreijraiij. Pro secundo anno fratrem Stephanum Almi, cui substituimus fratrem Nicholaum Chiofil in casu, quo contigerit fratrem Stephanum predictum legitime impediri; et quantum nostra interest, pro primo anno, extraneis debito, fratrem Dominicum Ianuarii de provincia Provincie.

³ De fr. Iohanne Balbini cf. supra pag. 445 l. 13.

⁴ De fr. Nicolao Vitalis cf. DENIFLE l.c. pag. 234.

⁵ De fr. Gotfrido cf. supra pag. 413 l. 17.

⁶ De fr. Arnulfo cf. ibid. l. 20.

⁷ De fr. Olivario cf. DENIFLE l.c.

⁸ De fr. Ioanne Ade cf. DENIFLE l.c.; SSOP. I, 694.

In Cantabrigia assignamus fratrem Iohannem Paris, magistrum, sub quo ad incipendum assignamus fratrem Iohannem de Acon. Ad legendum sentencias ibidem pro presenti anno fratrem Thomam Palmer⁹; pro secundo anno fratrem Thomam Coimbul; et pro tercio anno fratrem Rogerium Cley. Pro primo anno extraneis debito fratrem Franciscum Acoyi de provincia Polonie; cui substituimus fratrem Petrum Nichoyi de Dacia. Et quantum nostra interest, pro secundo anno extraneis debito ibidem ad legendum sentencias assignamus fratrem Humbertum Seguoni de provincia Saxonie.

In Tholosa ad legendum sentencias pro anno presenti fratrem Antonium Berengarii de eadem provincia; pro anno sequenti ad legendum sentencias ibidem fratrem Simonem de Saltarellis de provincia Romana. Pro magistro studencium ibidem pro anno presenti assignamus dictum fratrem Simonem de Saltarellis¹⁰. Pro anno immediate sequenti, quantum nostra interest, fratrem Heliam de Columbario. Ad legendum bibliam ibidem pro anno sequenti dictum fratrem Heliam; pro duobus vero annis immediate sequentibus fratrem Willelmum de Urisa, quem pro anno presenti ibidem pro studente honoris assignamus cum privilegiis et graciis talibus consuetis.

In Bononia, vel ubi generale illius provincie studium transferetur, facimus lectorem principalem fratrem Petram de Marchia¹¹, magistrum de provincia Tholosana. Ad legendum sentencias ibidem pro anno presenti fratrem Paulum de Submissianis eiusdem provincie; pro magistro vero studencium, quantum nostra interest, pro anno presenti et ad legendum sentencias ibidem pro anno sequenti immediate fratrem Iohannem de sancto Dominico de Bononia.

In conventu Coloniensi ponimus lectorem principalem fratrem Petrum de Lanipher provincie Theutonie. Ad legendum sentencias ibidem fratrem Rodigerium Rot; pro magistro studencium fratrem Nicholaum Boguereth.

In conventu Montispessulanii facimus lectorem principalem fratrem Petrum Borroni, magistrum. Ad legendum sentencias ibidem fratrem Bernardum Pagesii; pro magistro studencium fratrem Antonium Repari. Ad legendum bibliam ibidem fratrem Iohannem Alberti¹².

In Avenione facimus lectorem principalem fratrem Hiacintum Vincencium, magistrum; et pro secundo lectore ibidem fratrem Iohannem Lombardi. Pro magistro studencium fratrem Carolum Burgarii. In conventu Viceria (!) de presenti residente, vel ubi in posterum residebit, assignamus pro regente fratum Petrum de Duroforti, magistrum de provincia Tholosana.

Ad legendum sentencias in conventu Burdegalensi fratrem Petrum de Albano.

In conventu Pragensi facimus lectorem principalem fratrem Wenceslaum Raticionissensem¹³; ad legendum sentencias ibidem fratrem Mathiam Pinzessensem; pro magistro studencium fratrem Iohannem Liconenensem (!). In conventu Hufonensi provincie Bononie ponimus lectorem principalem fratrem Scalem et de provincie (!)¹⁴.

In conventu Barcinonensi ponimus lectorem principalem fratrem Petrum de Guillis¹⁵; ad legendum sentencias ibidem fratrem Simonem Romey; pro magistro studencium fratrem Petrum Albi¹⁶; ad legendum bibliam ibidem fratrem Romeum Rosselli¹⁷.

In conventu Magdeburgensi¹⁸ facimus lectorem principalem fr. Petrum de Voleberc; ad legendum sentencias ibidem fratrem Hermannum de Cohingia¹⁹; pro magistro studencium fratrem Hermannum Crispini.

In conventu Neapolitano facimus lectorem principalem fratrem Nicolaum de Troia²⁰, magistrum; ad legendum sentencias ibidem fr. Antonium de Uxore. Pro magistro studencium fratrem Iohannem de Neapoli²¹. Ad legendum bibliam ibidem fr. Nicolaum Orfonellis de Pennis.

In conventu Mediolanensi lectorem principalem ponimus fr. Iohannem de Lampinnio. Ad legendum sentencias ibidem fratrem Iohannem de Claresto de Asch (!). Magistrum studencium facimus Petrum Masoter de Mediolano. Studium generale in Romana provincia, quod consuevit esse in Florencia, quia ibidem propter guerras non potuit congregari, ponimus in conventu Pisano eiusdem provincie, quoque provideatur de loco tranquillo; et facimus lectorem principalem fratrem Iohannem Dominici Eugubinum²²; ad legendum sentencias ibidem fratrem Benedictum Franciscum; magistrum studencium fratrem Iohannem de Cachina; ad legendum ibidem bibliam fratrem Fridericum de Fulgino.

⁹ De fr. Thoma Palmer cf. SSOP. I, 753.

¹⁰ De fr. Simone et fr. Elia cf. supra (supra Hugone) pag. 434 l. 33 et 37.

¹¹ De fr. Petro de Marca seu Marchia cf. supra pag. 435 l. 4.

¹² De ffr. Petro Borroni, Bernardo Pagesii, Antonio Repari (supra Arnaldus Reparati), Ioanne Alberti cf. ibid. l. 20 sqq.

¹³

¹⁴ Legendum esse arbitror: In conventu Erfordensi provincie Saxonie

¹⁵ De fr. Petro de Guillis cf. MOPH. VII, pag. 61.

¹⁶ De fr. Petro Albi cf. ibid. pag. 57.

¹⁷ De fr. Romeo Rosselli cf. ibid. ad a. 1407.

¹⁸ Sic legendum esse puto "Mageningesi" codicis quam plurimum corrupti.

¹⁹ Forsan "Thuringia".

²⁰ De fr. Nicolao de Troia cf. supra pag. 435 l. 15.

²¹ Videtur esse idem, de quo SSOP. I, 752.

²² De quo cf. SSOP. I, 704.

Ordinacionem autem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium committimus reverendo patri magistro ordinis, ut ipse de lectoribus, baccalariis, biblicis et magistris studencium provideat, prout honestati et honori ordinis sibi visum fuerit expedire.

Committimus insuper eidem magistro ordinis reverendo, quatenus provinciis Terre sancte et Grecie, quocienscumque et quocumque casu ipsas vel aliquam ipsarum contigerit suo provinciali carere, usque ad immediate sequens capitulum generale dictis provinciis et earum cuilibet de provinciali providere valeat, prout sibi videbitur expedire. Item. Ne contingat iusticiam quomodolibet impediri, ad maiorem expressionem et roboris firmitatem concedimus et committimus magistro ordinis reverendo auctoritatem nostram plenariam in omnibus et per omnia, quantum possumus et quantum nostra interest, tam circa assignaciones quam circa disposiciones et dispensaciones aut dispensacionem, aut priorum provincialium per se vel per alium vel alias absoluciones et ordinaciones quascumque, necnon et circa omnia et similia, que paci, iusticie et honestati, tranquillitati et conservacioni ordinis et conventuum ac fratum singulorum quorūcumque iudicaverit expedire, et que per nos ipsos facere possemus; mandantes eidem magistro, quatenus quozienscumque habuerit querelas de aliquo provinciali vel de alio quocumque fratre [simplici] vel ordinis presidente qualitercumque, quamcuius commode poterit, per se vel per alium seu alias studeat iusticiam, correctionem et reformacionem tam auctoritate sua quam nostra in capitibus et in membris per omnia plenarie ministrare.

Iste sunt penitencie²³.

Quia reverendus pater frater Elias, magister ordinis, ex officio suo provinciam Anglie dudum anno sexto preterito visitaverit, et ad reformacionem religionis et observanciarum regularium ac honestatem nostri ordinis salubriter conservandam deliberato consilio providerit quasdam ordinaciones et mandata iuxta sacras sanctiones et nostras salubres constituciones et ordinaciones, consuetudines approbatas, prius dictam visitacionem, prout opportunum et expediens ad regularem disciplinam iudicaverit, ad dictam provinciam miserit, destinaverit et promulgari fecerit legitime per certos suos executores in eadem, mandaveritque dictas ordinaciones recipi firmiter et observari, contradictores et rebelles recepcionum earumdem per canonicam censuram scilicet per latam et promulgatam excommunicacionis sentenciam compescendo pariter el arctando, prout premissa in nostro generali capitulo Carcassone celebrato diligenter examinavimus, probatum, notorium et manifestum invenimus et habemus, delatumque et conquerendo monstratum publice per multos fide dignos fratres promotos in theologia et alias probos antiquos et honestos fratres dicte provincie Anglie viva voce et literatorie per absentes, pro dolor, constiterit, quod nonnulli fratres dicte provincie Anglie in suarum animarum preiudicium et damnacionem nostreque religionis lamentabilem enervacionem, dictas ordinaciones, non receperint, quinimmo recipere contradixerint, et renuerint eisdem ordinacionibus animo indurato iam fere per annum integrum contemptibiliter obedire et quedam peiora mala adducentes ac pessima peioribus concludentes, deum et honorem non verentes, vicarios dicti patris reverendi magistri ordinis impedierunt, male tractaverunt, comminatores verbis, contumeliosis angariis et multis aliis iniuriis affecerunt, et quod peius et gravius reputamus, per brachium seculare vicarium reverendi magistri ordinis, ecclesie immunitatem violantes, in loco excommunicato arrestaverunt seu arrestari fecerunt, et dictuni obserarunt et demum incarcerauerunt et detinuerunt, et fecerunt manu sacrilega diuicius custodiri et multos alias fratres arrestare fecerunt, nec adhuc a dictis rebellionibus, contradictionibus et inobedientiis resipiscant, ut ex fama publica per ordinem difusa ad aures fratum rebellium et inobedientium predictorum perveniat, quam et que multi peccaverint, et deum et ordinem offenderint, ut non sine saltem sua verecundosa infamia videant et cogitent tanti sceleris, suis exigentibus demeritis, se respersos, miserti sui ipsorum, spiritu gementes, intra se penitenciam agentes, ex sua immensitate delictorum ad ecclesie redeant unitatem et salutarem querant humilitatis spiritu, quam cicius poterunt, medicinam. Vero universis et singulis fratribus ordinis, ut predicitur, omnes et singulos premissae receptionis [et] ordinacionis contradictores et rebelles denunciamus per presentes in predictam sentenciam excommunicacionis incidisse, et penam culpe graviori debitam secundum nostras constituciones incurrisse et per conventus iuxta seriem constitutionum earumdem carceri mancipandos. Denunciamus eciam excommunicatos omnes fratres illos, qui arrestando vel incarceraendo seu arrestari faciendo seu sic arrestatos per vim detinendo edictas violencias vel aliquis eorumdem nostris fratribus intulerunt seu inferri procuraverunt. Denunciamus autem omnibus fratribus et sororibus nostri ordinis et maxime illis, quorum interest, quod dudum prefatus magister reverendus certis ex causis animum suum ad id moventibus fratrem Thomam Vichor, priorem provinciale olim provincie Anglie secundum morem nostri ordinis ab officio dicti prioratus de discretorum consilio removit pariter et absolvit. Ad maiorem autem firmitatem et removendum quocumque dubium, si esset forsitan in aliquo, declaramus eundem fratrem Thomam per nos de novo nunc pro tunc de iure et de facto²⁴ ... in nostro capitulo generali Carcassone celebrato in nostro diffinitorio, prout moris est, a provincialatus officio provincie Anglie, quod dudum exercuit, similiter absolutum, instituentes et ordinantes et ponentes vicarium generalem more dicti ordinis nostri in dicta provincia fratrem Iohannem Paris²⁵ magistrum, sive provincia illa priorem provinciale habeat sive non, et in casu quo ipsum contigerit

²³ Quas poenitentias quam pessime transcripsit librarius; unde plura verba intelligi vix possunt; sic v.g. loco "penitenciam" scribit "pecuniam", pro "vicarium" ponit "vitam"; loco "dictum" "divinum". Attamen quid sibi velint poenitentiae, ex contextu erui potest.

²⁴ Post "facto" pergit codex sic: "restare opportuit absolucionem, vel omnem aut necesse est".

²⁵ De fr. Ioanne Paris cf. supra pag. 447 l. 22.

impediri aut nolle exequi fratrem Iohannem magistrum, in eius locum substituimus fratrem Thomam Normanda, donec magister ordinis ipsum vel ipsos aut ipsorum vicariorum aliquem duxerit instituendum, cui super hoc vices nostras committimus, committentes cuilibet eorumdem, ut alium seu alios vicarios, quem vel quos decreverit, substituere valeat, si sibi expediens videatur, non obstante ordinacione quacumque in contrarium magistri ordinis reverendi, cum quo de eiusdem patris nostri beneplacito et assensu duximus dispensandum; in virtute autem sancte obedientie et sub pena absolucionis a quocumque officio nostri ordinis sive vicariatus generalis sive prioratus sive lectoratus, quam incurrat contraveniens ipso facto, precipimus fratribus universis dicte provincie Anglie, [quatenus] fratrem Iohannem Paris tamquam verum vicarium provincie memorate recipient nullumque consilium alicui dent vel favorem ad impediendum ipsum a plena execucione dicti vicariatus exhibeant, sed omnes eidem secundum nostrarum seriem constitucionum pareant cum effectu; et consimiliter quoad vicarios constitutos, si ipsos iuxta formam premissam contigerit in vicariatus officio presidere, sub eisdem censuris et penis fratres singulos eiusdem provinciae obligamus. Quilibet vero frater nostri ordinis provincie Anglie memorate contraveniens isti precepto per nos dato sentenciam excommunicacionis se neverit incurrisse, latam in diffinitorio iuridice et in scriptis; omnem quoque vicarium generalem in dicta provincia in toto vel in parte institutum per dictum olim provinciale et quidquid extremum secutum est actum vel dispositum, remotum vel ordinatum a tempore facte et promulgatae absolucionis ab officio provincialatus, irritamus et annullamus et inane et irritum similiter atque nullum tenore presencium denunciamus, utpote attemptatum a non habente potestatem.

Et quia fratres G. de Benchiniquis, Thomas Boquerelli sacre theologie professores et frater G. de Bencanor dicte provincie Anglie coram nobis in diffinitorio de multis contravencionibus sunt delati, que cum bona conscientia dissimulare non debemus, imponimus et in virtute sancte obedientie mandamus vicario generali dicte provincie per nos instituto, quatenus per se vel per alium vel per alios citet (et) peremptorie predictos fratres statim nominatos, quos et nos tenore presencium citamus, ut infra sex menses a tempore citacionis huius ipsis facte, in curia Romana coram fratribus procuratore ordinis vel eius vicario et lectore conventus, ubi curia residebit, et priore eiusdem conventus, quibus vel duobus ex ipsis in hac causa et ei connexis committimus plenarie vices nostras, personaliter compareant responsuri, quod est iuris et rationis, de execucione dictae citacionis per patentes litteras certificet commissarios predictos, alias contra ipsos legitime procedatur, eorum absencia per contumaciam non obstante. Fratrem G. Bochincanor²⁶ provincie Anglie magistrum assignamus conventui Livardensi provincie Saxonie, et ordinacionem magistri ordinis factam de eodem quoad absolucionem, studium, conventum Lenne et quoad revocationem camerarum, cellarum, librorum, et omnium aliorum sibi factorum per eundem conventum approbamus et presentibus innovamus, precipientes in virtute sancte obedientie et sub pena excommunicacionis, quam incurrat contraveniens ipso facto, quam sentenciam de unanimi consilio diffinitorum et assensu magister ordinis tulit in diffinitorio iuridice et in scriptis. Item omnia et singula, que habet a dicto conventu usque ad valorem quadraginta Anglicane monete restituat infra mensem a noticia presencium conventui memorato, et quod infra idem tempus se de dicto conventu expediat nec ex tunc villam Lennensem vel conventum absque licencia magistri ordinis intrare presumat. Et [quia] idem frater Guillermus quoddam instrumentum falsum confecit in conventu Lenne prefato sub sigillo communitatis eiusdem super quandam libratam seu prebendam, quam pro quadam muliere volebat, absolvimus ipsum ab officio predicationis in penam omnique voce activa et passiva tam in ordinacione studii quam in tractatibus et ordinacionibus quibuscumque, quousque per generale capitulum vel per magistrum ordinis fuerit restitutus, [privamus].

Assignamus insuper fratres provincie Anglie Guillermum de Bocanor²⁷ conventui Carleoli, Guillermum de Exonia²⁸, conventui Oxoniensi, Iohannem Colini conventui Gustan.²⁹; quibus et omnibus aliis fratribus Anglie, qui in isto capitulo ab aliquibus conventibus sunt amoti, districte imponimus sub pena gravioris culpe, quam ipso facto incurrit, quatenus infra quindenam a noticia presencium recedant ab illis conventibus, a quibus sunt amoti, nec ad eos redire presumant absque vicarii generalis per nos positi licencia speciali, fratribus per nos assignatis dumtaxat exceptis.

Item. Ex certis causis et rationabilibus nobis visis omnes habitatos et ad magisterium dispositos in dicta provincia Anglie preter illos, qui actum oppositionis totaliter compleverunt et preter assignatos in isto capitulo ad legendum sentencias, similiter revocamus, adiicientes et in virtute sancte obedientie precipientes fratribus Iohanni de Bruscore, Guillermo Boconde, Guillermo Dambaso et Iohanni Cellers, quod nullus istorum in aliqua universitate vel extra actum scolasticum exerceant, priusquam de dictis articulis gravibus se legitime excusaverint reverendo patri magistro ordinis vel eius vicario ad hoc specialiter deputato, de quibus coram nobis in diffinitorio sunt delati; quod si aliquis istorum quatuor contrarium attemptaverit, sentenciam excommunicacionis se neverit incurrisse, quam [magister] ordinis tulit in diffinitorio de diffinitorum unanimi consilio et assensu; indicantes fratribus universis ordinis nostri, quod nos diffinitores et reverendus magister absolvimus certis ex causis duodecim priores conventuales provincie Anglie, nolentes, quod iidem per nos absoluti valeant ad sequens generale capitulum ad officium prioratus ullo modo assumi.

²⁶ Supra pag. 452 l. 31: de Benchiniquis.

²⁷ Loco "Exonia" (Exeter) cod. "Eziniensi".

²⁸ Loco "Exonia" (Exeter) cod. "Eziniensi".

²⁹ Pro "Gustanensi" legendum esse puto "Cestrensi" (Chester).

Item. Quia ordo noster per subscriptos fratres Maguntinenses, qui ibi ...³⁰ est prolapsus processus apostolicos non servando, idcirco fr. Gumanum de Mora esse absolutum a prioratu conventus Maguntini declaramus, ipsumque ac fratres Guillermum de Mogondinis, Iohannem Linquini, Nicholaum Retorn et Iacobum Urmine ob predicta excommunicatos denunciamus et eum et omnes alias fratres prenominatos carceri iudicitaliter condempnamus et bonis omnibus eis concessis per ordinem privamus atque privatos fore decernimus per presentes; et nichilominus ipsos ad gradus et promociones quascumque ordinis inhabiles reddimus per presentes; nolentes, quod ad dicta aliquo modo restitui valeant nisi per magistrum ordinis reverendum vel vicarium generalem; quorum quidem bonorum unam medietatem pro capitulo ordinis pro expensis pro nostro ordine fiendis, aliam vero fratri Petro Lanifer³¹ vicario magistri ordinis pro expensis per eum occasione predictorum factis et fiendis realiter applicamus, precipientes in virtute sancte obedientie presidenti provincie Teutonie, quatenus predicta omnia execucioni debite non differat demandari.

Item. Fratrem Petrum de Castello provincie regni Sicilie pro eo quod quemdam secularem gladio interfecit, sicut fuimus plenarie informati, iuxta constitutionem nostram per dominum nostrum summum pontificem confirmatam carceri sentencialiter condempnamus.

Item. Inclusionem factam per fratrem Anthonium Boro, tunc priorem Cesaraugstanum, de fratre Guillermo Conesa provincie Aragonie, certis rationabilibus ex causis positis coram nobis indebitam et iniustam fuisse denunciamus et declaramus de iusticia requisiti, fratribus Gombaldo de Vlugia³², Anthonio Folqueti³³ et Ferrario de Curtibus committentes et mandantes districte, [quatenus] dicto fratri Anthonio penam imponant pro predictis secundum exigenciam iusticie, prout viderint expedire, cum de hoc fuerint requisiti.

Denunciamus fratibus universis ordinis nostri, quod reverendus magister ordinis una nobiscum et nos omnes et singuli cum eo fecimus et constituimus per publicum instrumentum fratrem Petrum de Duroforti³⁴, magistrum et diffinitorem provincie Tholosane, Guilielmum de Sancto Blasio magistrum et diffinitorem provincie Provincie, vicarium [N.] de Troia³⁵ regni Sicilie, et Aldobrandinum³⁶, inquisitorem Ferrariensem et diffinitorem Lombardie inferioris, nostros et tocius ordinis nuncios et procuratores speciales et generales, et quemlibet eorum in solidum ad omnes et singulas causas delegavimus in forma et specialiter ad supplicandum in Romana curia domino nostro pape super pluribus honorem ordinis nostri et eius bonum statum concernentibus, necnon et ad tempesta (!) de querelantibus tam ibi quam alibi ubicunque: quare precipiendo mandamus presidentibus conventuum ordinis nostri universis, per quos contigerit eos transire quomodocumque, quatenus ipsos et quemlibet ipsorum honorabiliter recipient et favorabiliter pertractent, et in hiis, de quibus fuerint per eos aut eorum quemlibet requisiti, eis opportunius iudicio ipsorum sicuti nobis pareant et totaliter intendant. Insuper declaramus ad removendum dubium apud aliquos, si quod esset, magistrum Guilielmum de sancto Blasio prefatum, qui hoc anno accessit causa visitacionis ad provinciam Lombardie superioris, fuisse verum vicarium magistri ordinis in dicta provincia cum plena potestate, hiis non obstantibus, que magister Thomas de Bosoloscho³⁷, olim prior provincialis in eadem, in oppositum proposuit coram nobis. Ea propter ordinata, iussa ac precepta necnon quecumque alia per eum acta in dicta provincia, exequendo officium vicariatus predicti, et specialiter priorum absoluciones, fratrum assignaciones et absoluciones ab excommunicacionis sentencia et aliis penis iuris, de certa sciencia approbamus et confirmamus realiter et ex toto, et omnia illa dicimus et volumus in suo robore permanere, quoisque revocata fuerint per magistrum ordinis vel vicarium generalem; mandantes capitulo in dicta provincia, quatenus nonnulla ex illis, que in scriptis non potuit idem vicarius publicare propter brevitatem temporis, omnibus denunciet et faciat inviolabiliter observare. Et quia magister Egidius monasterii Iannuensis et frater Hugheccus de Asclidico provincie Lombardie superioris fuerunt post notificacionem excommunicacionis incurrente ab omni fratre per dictum magistrum Guilielmum auctoritate eiusdem magistri reverendi in actis provincialis capituli Alexandrie ultimo celebrati gravati, et deinde sub certis titulis et causis atque capitulis expressatis in eisdem legitime condemnati: idcirco exigente iusticia, de qua sumus cum instantia requisiti, predicta omnia facta et attentata seu denunciata et publicata contra eos in dictis actis, necnon eciam post quomodocumque et per quemcumque seu quoscumque de dicta provincia nulla fuisse decernimus et ea omnia et singula irrita nunciamus, magistro Leonardo, vicario dictae provincie generali, precipiendo mandantes, quatenus super aliis querelis tam eos, quam alios fratres de dicta provincia audiat et notatis notandis de hiis, de quibus sibi legitimate constiterit, ministrare non differat iusticie complementum; quare super hiis omnibus eidem magistro Leonardo committimus vices nostras.

Iste sunt declaraciones.

³⁰ Post “ibi” sequuntur in codice apographo tria verba obscura ad intelligendum nempe: “prohaverunt innectram graviam”.

³¹ De Petro Lanifer cf. supra pag. 448 l. 17.

³² De fr. Gombaldo de Vlugia cf. supra pag. 417 l. II.

³³ De fr. Antonio Folqueti cf. ibid. l. 31.

³⁴ De quo supra pag. 448 l. 28.

³⁵ De quo supra pag. 449 l. II.

³⁶ De fr. Aldobrandino cf. SSOP. I, 86 r.

³⁷ Loco “Bosoloscho” legas “Clarasco”; cf. Supra pag. 402 l. 21.

Declaramus hanc: In capitulo de domibus concedendis et construendis, ubi dicitur: nisi forte illo anno propter obitum fratrum dictus numerus fuerit diminutus, quod ille annus intelligatur propter pestilencias communes preteritas, quousque per fratrum ad ordinem receptorum sufficientem multitudinem tantus possit reparari defectus; ad quod priores provinciales dare volumus operam efficacem.

Item. Declaramus, quod reverendus pater magister ordinis ex sua ordinaria potestate et ex consuetudine per ordinem approbata, necnon eciam eius vicarii generales in provinciis et conventibus eis commissis possunt confirmare priores, lectores instituere, eciam in locis, ubi non viget studium generale, et ne aliqui priores absolvii valeant per aliquem eis inferiorem, ex causa rationabili inhibere, cum eis videbitur opportunum, et quod prior provincialis non potest contra illa, que sunt ordinata per ipsum magistrum ordinis vel vicarios suos, maxime si sibi per eos aut eorum aliquem potestas sublata fuerit; omnem autem cuiuscumque gradus aut condicionis existat, qui contravenerit scienter, tanquam irreverentem et rebellem ab officiis quibuscumque nunc pro tunc absolvimus et absolutum denunciamus similiter per presentes.

Iste sunt commissiones.

Committimus priori cuilibet provinciali, quod possit recipere quatuor conventus.

Facimus hos vicarios generales in provinciis subscriptis et conventibus, donec priores fuerint in eis confirmati ac presentes extiterint in eisdem.

In provincia Tholosana fratrem Guillielmum Garrici, priorem Prulianensem.

In provincia Lombardie inferioris fratrem Aldobrandinum, inquisitorem Ferrarensim³⁸.

In provincia regni Sicilie fratrem Nicholaum de Troia³⁹.

In provincia Hungarie fratrem Stephanum de Vadoch.

In provincia insule Sicilie fratrem Simonem de Puteo⁴⁰ magistrum.

In conventu Parisiensi fratrem Iohannem de Castro Theodorici, baccalaureum⁴¹.

In conventu Ianuensi fratrem Damianum Ianuensem, magistrum, subpriorum eiusdem conventus absolventes.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo in Christo patre et domino domino Urbano papa VI. quilibet sacerdos tres missas.

Pro reverendissimo in Christo patre et domino domino de Agrifolio⁴², protectore ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo principe et domino domino duce Andegavensi, domina ducissa consorte sua et egregia prole sua quilibet sacerdotum tres mis.

Pro reverendissimis dominis dominis cardinalibus Pampilonensi⁴³, Mimatensi⁴⁴, sancti Martialis⁴⁵, Gebennensi⁴⁶, Ambianensi quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino imperatore et filio suo, rege Romanorum, quilibet sacerdos unam missam. Pro illustrissimo domino rege Hispanie quilibet sacerdos unam mis.

Pro serenissimo principe Ludovico, rege Hungarie, necnon genitrice et consorte eiusdem cum liberis eorumdem, quilibet sacerdos unam mis. Pro domina Beatrice, infantissa Portugallie, et filia sua quilibet sacerdos unam missam.

Pro venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam. Pro reverendissimo in Christo patre Ade⁴⁷ et domino domino episcopo Carcassone quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis episcopis Convenarum, Castrensi, sancti Pontii, Apamiensi, sancti Papuli, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustri et potenti domina domina comitissa de Alenconio, nobili eius prole et pro quibus intendit, quilibet sacerdotum tres missas.

Pro illustrissimo principe domino rege Aragonie, consorte sua, domino duce Gerunde ac consorte sua, et infanti Martino, ac domino comite Empuriarum, ceterisque de domo regia, dominis episcopis Ilerdensi, Tarragonensi, Cesaraugustano quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendo patre fratre Guillermo Garrici, priore Prulianensi⁴⁸, quilibet sacerdos unam missam.

Pro Guillermo Rogerii et Stephano Burgensi charissimis, et pro quibus intendunt, quilibet sacerdos unam missam.

³⁸ De quo supra pag. 455 l. 12.

³⁹ De quo ibid.

⁴⁰ De fr. Simone de Puteo cf. supra pag. 400 l. 24.

⁴¹ De fr. Ioanne de Castro Theodorici cf. supra pag. 433 l. 12.

⁴² De quo supra pag. 422 not. 7.

⁴³ Petro de Monteruco, prom. 23 Dec. 1356, tit. s. Anastasiae; † Avinione 30 Maii 1385, cf. EUBEL l.c.pag. 19

⁴⁴ Guilelmo de Chanaco, prom. 30 Maii 1371, tit. s. Vitalis, † Avinione 30 Dec. 1363; cf. EUBEL l.c.pag. 21.

⁴⁵ De quo supra pag. 422 not. 6.

⁴⁶ De quo ibid. pag. 437 not. 4.

⁴⁷ De quo ibid. not. 7.

⁴⁸ De fr. Guilelmo Garrici cf. supra pag. 457 l. 4.

Pro nobilibus dominis de Malo Monte, Emblemmis, de sancto Marciali, ceterisque familiaribus et servitoribus domini episcopi Carcassonensis quilibet sacerdos unam missam.

Pro fratre Arnaldo de Curtibus conventus Carcassonensis quilibet sacerdos unam missam. Pro domina Iohanna Costil de regno Anglie quilibet sacerdos unam missam.

Pro honesta [domina] Florentina Carcasson. bugen. quilibet sacerdos unam missam. Pro P. Cadual et Iohanne Maiori et quibus intendunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis abbatibus Triconensi, sancti Hilarii, Soricci et venerabili collegio dominorum canonicorum civitatis Carcassonensis, et multis honorabilibus personis tam ecclesiasticis quam secularibus dicte civitatis, que benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domina uxore Guillielmi Laurencii, Guillermo Azamarii, Iohanna, procuratrice regia, Petro Sicardii, Arnaldo Sicardii et multis aliis diversorum officiorum Carcasson., quilibet sacerdos unam missam.

Pro domina vicecomitissa Fecninsenglli (!?), Marco Montanerii, communitatibus Limosi de Quillano, et pluribus devotis personis de Limoso, Monte Regali, Quillano, de Monte Olivo, Orzensi (!), de Allaccio, quilibet sacerdos unam missam.

Pro priorissa domina nobili et devota Pruliani, et omnibus fratribus et sororibus monasterii predicti, bono statu et conservacione eiusdem, pro diversis personis, que caritative receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeentes, et pro illis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Socolli, Iohanne Cufeti, et diversis communitatibus ac personis diversis, que benefecerunt capitulo et promiserunt facere, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro sanctissimo in Christo patre et domino domino Gregorio novissime defuncto⁴⁹ quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo in Christo patre fratre Guillermo cardinali Ostiensi⁵⁰, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo in Christo patre domino cardinali Aquensi⁵¹ quilibet sacerdos unam missam. Pro domino Eduardo, rege Anglie, novissime defuncto quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimis in Christo patribus dominis fratre Guillermo⁵², quondam cardinali Sabinensi, ei Arnaldo Frederici, episcopo Cesaraugustano, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo principe domino Roberto de Alenconio, quondam comite de Perge, quilibet sacerdos unam missam de requiem; et vult magister ordinis, quod iste tres misse sint prime.

Pro domino nobili Gulielmo de Vitinis milite, domino de Confolento, quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobilibus dominis de Canesuspensi, de Saxiato, de Viconbono, fratribus et sororibus nostri ordinis defunctis ei pro hiis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Fratres vero clerci non sacerdotes pro qualibet missa septem psalmos cum litania; laici vero centum pater noster dicant.

Sentencias iudicium approbamus, de quibus querela pervenit.

Letania et salve regina more solito dicantur. Sequens capitulum generale assignamus anno immediate sequenti in conventu Cesaraugustano de provincia Aragonie in festo pentecostes. Et volumus et ordinamus, quod nullus frater sine licencia suum conventum exeat. Quod si aliquis attemptare presumpserit, voce simpliciter sit privatus. Diffinitores autem locum intrent capituli dominica infra octavas ascensionis domini. Nullus autem frater intret locum capituli ante feriam sextam festi pentecostes immediate precedentem.

Explicant acta capituli generalis Carcassone celebrati anno domini millesimo tercentesimo septuagesimo octavo.

⁴⁹ Obiit Gregorius papa XI Romae 27 Mart. 1378

⁵⁰ De quo supra pag. 422 not. I.

⁵¹ Petro Iterii. prom. 17 Sep. 1361, tit. IV Coronat., postea ep. Albanen., † Avinione 20 Maii 1367; EUBEL l.c. pag. 19.

⁵² Guilelmo Petri Godin O. Praed.; † 4 Iunii 1336; de eo supra p. 67 not. 3. MOPH 5 (12331376)